Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

ad cognitionem huius fidei convertatur. Intellige itaque et tu heretice: hec pars nostra spiritu sancto adiuvante complevit. Quia nichil in sancta trinitate dissonum, nichil esse dissimile fatearis. Quia consensit hereticus huic diffinitioni et invito usque mane placite discesserunt. Sed fidei fervore perquirere huius primum diaconi protulisset cepit inimico insidiante tepescere. Diluculo autem surgens brachium infundit oleo et unguento conspergit. Sed tamen loca sancta circuit et dominum deprecatur. Quid plura. Circa horam tertiam in foro conveniunt. Concurrit populus ad spectaculum. Accenditur ignis. Eneus super ponitur. Fervet valde: anulus immersus fuerat proicitur. Invitat primum diaconus hereticum, ut ipse eum a calore auferat. Sed statim recusavit dicens. Qui hanc sententiam protulisti: debes anulum auferre. Diaconus vero licet trepidus, tamen denudat brachium. Cumque eum indutum unguentis hereticus presbiter delibutum exclamavit dicens. Magicis artibus te eludendum putasti, ut hec unguenta diffundens non valebunt ista que agis. His ita litigantibus supervenit diaconus ab urbe Ravenna Iacinctus nomine, sciscitans que esset hec altercatio. Cumque veritatem cognovisset, non moratus extracto a vestimentis brachio, in eneum dextram mergit. Anulus enim qui eiectus fuerat, erat valde levis ac parvulus, nec minus ferebatur ab unda quam a vento possit ferri vel palea. Quem diu multumque quesitum, infra unius hore spacium repperit. Accendebatur interea vehementer focus ille sub dolio, quo validius fervens non facile assequi possit anulus a manu querentis. Extractumque tandem nichil diaconus sensit in carne sua, sed potius protestatur imo quidem frigidum esse eneum in summitate, in calore teporis modici continens. Quod cernens hereticus valde confusus, iniecit audax manum in eneum dicens. Prestabit mihi hec fides mea. Iniecta manu protinus usque ad ipsa ossium internodia omnis caro liquefacta defluxit. Et sic altercatio finem fecit. De ecclesia Agatensi.

Ecclesia Agatensis se urbis, que sancti Andree apostoli reliquiis plaudit, plerumque gloriosis illustratur miraculis, pervasores rerum suarum sepius arguit. Denique Gomacharius comes agrum ecclesie ipsius pervadit. Tunc Leo episcopus huius ecclesie valde merens, accessit ad eum dicens. Relinque o fili res pauperum, quas ordinationi vite divinus commendavit, ne tibi sit nocivum et a lacrimis egentium, qui de fructibus eius ali consueverant, enecceris. Ille vero quia erat hereticus parvipendens de his que ab episcopo dicebantur, rem infra ditionem retinuit. Interim procedente die arripitur a febre. Cumque non minus ardore corporeo, verum etiam et anime vexaretur, hoc modo misit ad episcopum nuntios dicens. Veniat pro me sacerdos orationem ad dominum fundens, et ego dimittam agrum eius. Quo orante ab hac valitudine qua gravabatur convaluit, factusque sanus ait suis. Quid putatis quod isti nunc romani dicant. Aiunt enim me ob hoc fuisse febre gravatum, quia tulerim agrum eorum, quod non tam ex consuetudine humani corporis accidit. Verumtamen non habebunt eum me vivente. Et dicto citius misit qui eum etiam iterum auferret. Quod cum episcopus comperisset venit ad eum dicens. Iterum penitet te prius fecisse bene, quod iterum hoc conaris evertere. Ne facias queso, ne ultioni divine subiacearis. Qui ait ad episcopum. Sile sile decrepite. Nam infrenatum te loris, circuire urbem super asinum faciam, ut sis in ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens a donatore recessit perfidie. Prosternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrimis et psallendo ducit. Mane autem facto, accedens ad lichnos qui de camera ecclesie dependebant, extendensque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens. Non hic accendetur lumen donec ulciscatur deus de inimicis suis et restituat res domus sue. Hec eo dicente protinus hereticus ille in reduviva febre corruit. Cumque in extremis ageret, misit ad episcopum dicens. Oret pro me sacerdos ad dominum ut vivam, et restituam agrum, ac similem ei conferam ditationi. Quibus pontifex respondit. Iam oravi ad dominum et exaudivit me. Misit et alios acutiores nuntios. Sed sacerdos in uno proposito persistens non movebatur, adhuc ut pro eo orationem daret ad dominum. Hoc ille hereticus cernens iussit se in plaustro componi, atque ad eum inde evehi, ac se deprecatur episcopum dicens. Quia dupla satisfactione restituo agrum quem inique pervasi, tantum ut oret pro me sanctitas tua. Illoque recusante, compulit eum vi ut abiret ad ecclesiam. Quo descendente, ut ecclesiam est ingressus, et hic spiritum exalavit, recepitque confestim ecclesia rem suam.

Prefatio Wolfhardi in marcium [?] insem [?]

D VOBUS ceptis operis duorum iam finitis libellis deo favente explicitis, invocato ihesu bono sanctissimo nomine: tertium circulum excedum [?] posce, ut ipso sermonis